

## Le livre des serfs de Marmoutier, Nr. 12

Notum fiat omnibus sanctae Dei ecclesiae fidelibus immo et nostris successoribus quod hanc convenientiam dominus abba Ingelbaldus Resbatiacensis monasterii fecit cum domno Alberto abbe Majoris Monasterii aliisque ejusdem loci fratribus, in capitulo Sancti Martini. Si quidem tradidit Sancto Martino duos adhuc juvenilis aetatis servos Othstrandum videlicet et Boselinum, pro commutatione cujusdam servi Sancti Martini, in omni rem nullum idonei, nomino Frederici, qui in eorum servitio, casu accidente, occisus fuit. Hoc autem tali actum est ratione, ut ipsi, omnisque ex eis nascitura progenies, Sancto Martino Majoris Monasterii ejusdemque loci fratribus, jure perpetuo serviant conditione servili. Hujus vero convenientiae donum, ut firmorem haberet auctoritatem, postea firmatum ac corroboratum est in capitulo Sancti Petri Resbatiacensis monasterii, cunctis ejusdem loci fratribus annuentibus. Nomina vero haec videntium et audientium inferius subnotata sunt; ex nostra parte: Richardus major, Rainaldus major, Otbertus cellararius, Girardus sartor.